

Julianus Ex Historicis Genuinis Vere Apostata Contra Tomum III. Observationum Halensium Ejusdemq[ue] Nonam Assertus

Rostochii: Typis Johannis Wfpplingii, [1703]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003430236>


Druck Freier  Zugang



phil.

RU ~~theol.~~ 24.u.30.Mart.
1703

Weidnerus, Joh. Joach.



4.
24
JULIANUS

EX HISTORICIS GENUINIS

VERE

APOSTATA

CONTRA TOMUM III. OBSERVATIONUM
HALENSIUM EJUSDEMQUE NONAM ASSERTUS.

QVEM

BONO CUM DEO

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
PRÆSIDE

**M. JOHANNES JOACHIM
WEIDNERO,**

VERBI DIVINI MINISTRO

FAUTORE & PRÆCEPTORE SUO VE-

NERABILI AC FIDELISSIMO

IN ALMA HACCE ROSTOCHIENSI

EJUSDEMQUE AUDITORIO MAJORI

AD D. 24. & 30. MARTII ANNO 1703.

HORIS MATUTINIS CONSUVETIS

PLACIDÆ DISQVIGATIONI SUBJECERUNT:

JSAACUS HOEMAN. Colberg.

OTTO DAV. DAMBECK, Mekl.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Univ. Typogr.

JULIANUS

EX HISTORICIS GENIUS

VERE

APOSTATA

CONTRA TOMAM III. OBSERVATIONUM
HALLENSIUM EJUSDEM NOMINIS ASSERTUS

OVEM

BONIS COM DEO

CONSENSU ABBATISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE

PRESIDE

M. JOHANNES JOACHIM

WEIDNERO.

VERBI DIVINI MINISTRO

FAVORE & PRAECEPTORE SVO NRO

VERSBILI ac FIDELISSIMO

IN ALMA HACCE ROSTOCHENSIS

EJUSDEMQUE AUDITORIO MAJORI

ADD. die 21o MARTII ANNO 1772

HORIS MATUTINIS CONVERSIS

PLACIDE DISQUISITIONI SUBJECERUNT.

ISAACUS HOERMAN. Colberg.

OTTO DAV. DAMBRICK. Mekl.

ROSTOCHII

ROSTOCHII

Typis JOHANNIS WITTMANNI sum. Typogr.

PRÆFAMEN.



Um Historia sit testis temporum, lux
 veritatis, vita memoria, magistra vita,
 atq; nuncia vetustatis ap. Cic. 2. de Or.
 & ex Tucidides κτήμα εἰς αἰὲν ἡδὸν
 ἔσθ' ἀθανάτου βίῃ κρείσσειεν. Hinc non
 tantum jucunda erit voluminum
 memorabilium evolutio, sed &
 dum rem ex proprio primoque
 fundamento, quin purissimis con-
 ditionibus novisse admodum eveniat gratum ac con-
 ducibile quævis placebit opera, cujus, ad tale quid scruta-
 andum, dirigitur scopus. Quemadmodum autem per-
 hibente erudito Pexenfeldero: *Prima Lex est Historia, ne,
 qui eam scribit, quid falsi dicere audeat; ne quid veri non,
 audeat; ne qua suspicio gratie sit in scribendo, ne qua simul-
 tatis.* Vid. in apparatu Cap. LXIX. p. 509. ad quæ
 Ciceronis verba eleganter commentatur Exc. Dn. Eifen-
 hart. de fide Historica Cap. l. §. 7. Si ita quoque hoc demum
 probati crediderim Historici munus, si in requisitis isti-
 usmodi nunquam delinquat, unde & cum pertinacia ma-
 gna pœna sit afficienda, ne malo exemplo cœteri moveantur
 Vid. Hirtius Lib. VIII. c. 39. Comment. de gestis Cæsaris;
 honesta tamen perseverentia quæ est ex Cicerone 2. de In-
 ventione *in ratione bene considerata, stabilis & perpetua per-
 mansio* nulli unquam ducetur vitio. Non ergo ingratus, lon-
 gè minus turpis ac inconveniens noster judicabitur cona-
 tus, qui denuo Julianum ex Historicis genuinis & argumen-
 torum

A

torum

torum contradicentiu in illustratione verè Apostatam è
rudito sistimus orbi. Cum etenim typis jamdum fuerat
expressa Dissertatio nostra, quæ historicè probaverat, quod
Julianus per nullam Orthodoxorum culpam factus sit
Apostata, & verò ad manus postea demùm veniret Tom. III.
Observationū Halensium, quarum nona probare satagit,
quod Julianus nunquam verè fuerit Christianus, certè vix
aliquid jucundius potuisset accidere; nam circa elabora-
tionem superioris Thematìs argumentū maximi ponde-
ris fuisset, si documentis ac Historiis constitisset evidenti-
bus probatisq; quod Julianus nunquam verè fuerit Chri-
stianus, sic etenim præposterè Clarissimus Arnoldus
Apostasiæ culpam ad Christianos derivasset. Interea,
postquam haud minimus labor fuerat exantlatus circa
investigationem hujus sententiæ, dum imprimis argu-
menta, quæ Exc. Halensium Polyhistor exhibuit, mode-
stissimæ subiciebantur discussioni; præsuppositum ni-
hilominus nostrum, quod nempe Julianus in Juventute
sua verè fuerit Christianus & sic per seductionem Gen-
tilium ac propriam malitiam postea, verè extiterit A-
postata, tutius non tantum, sed & firmiter fideq; hi-
storica longè magis remansit stabilitum. Sicuti igitur
totam hanc materiam citra præconceptos illustravi ac
absolvi affectus, ita quoq; benevolum sperabo iudicium,
ac ultro, si forsàn, quod hominum est, deliquero, cuius
candidè ac sincerè monenti assurgam & obsequar, id
namque Bono cum DEO propositum mihi met quam fir-
missimè, ne ad pertinaciam unquam honesta mea per-
severantia circa creditum, probatumq; quoddam assur-
gat ac conspurcetur. Sit interim maneatque DEus no-
ster nobiscum! Amen.

TRAGTA-

3

TRACTATIO.

§. I.

Absolverat Observatione nona Tomi III. Polyhistor. Halensis & quidem tribus paragraphis, ista, quæ ad probandam Juliani Apostasiam, quoad maximam partem nostra quoque Dissertatio inculcaverat, cum verò hæc ipsa haud satisfacerent Viro clarissimo, hinc paragrafo IV. sic commentari incipit: *His non obstantibus haud desunt, qui nunquam Julianum ex animo Christianam fuisse professum fidem opinantur. Certè Sozomenus libr. V. H. E. Cap. I. p. 509. (crediderim p. 590.) notanter ita scribit: Περὶ τῶν Χριστιανῶν δοκῶν.* Credit ergo, quod dum apparuerit demum & quoad externam formam ac faciem habitus vilusque sit talis, re ipsa & in corde suo nunquam fuerit verus ac verè talis Christianus.

§. II. Nostrū non est, ut pluribus de Christianismo, cujus formale hodie adeò controversum, instituamus inquisitionem, hæc siquidem tractatio Dn. Theologis justè committitur, status interim controversiæ necessario præmittendus erit, antequam rem ipsam ordinatè deducamus; Non ergo quæritur: An Julianus Athenis hærens ibidemque politicè instructus, vel Nicomediæ aut post ista tempora, generatim spectatus, in quibus Gentilium Libris, informationi ac conversationi clanculariè semet dedit, Christianismum simulaverit ac in corde Gentilium Superstitionibus fuerit addictus? hoc enim ultro concedimus, dum satis probatum Dissertatione nostra superiori, quod per Gentilium perdita dogmata cœperit simulare Christianismum, sed hæc est quæstio: An per media salutifera Christianismo

A 2

Christianismo

stianismo consecratus & à primis incunabulis Christianæ fidei lacte fuerit nutritus? item: An subsequens educatio juxta verbum DEI ac pietatem instituta animum ipsius ita perfecerit, ut non tantum dogmata Christianæ religionis imbiberit, verum & fidem inde salutarem conceperit, quam per externam professionem bonaque opera coram hominibus exieruerit? tandemq;: An Julianus tempora discretionis jamdum superaverit, cum seductus ac deceptus vanitate superstitionum Gentilium, Christianismum prius præ metu abs Imperatore Constantio simulaverit, deinde verò apertò ejuraverit & sic tanquam defertor fidei Apostata dici possit? ex his ipsis quæstionibus assertio positivè talis nostra est, omnes namq; hoc affirmamus, unde harum contrarium Exc. Halensium probabit Polyhistor, quod nempe simulatio Christianismi invaluerit jamdum penes Julianū ab ipsis teneris annis Inq; prima juventute.

§. III. Quando igitur in hunc scopum Sozomeni fruitor testimonio, tunc in genere regeri posset, quod Sozomeno jamdum dempta sit fides Observatione XXII, Tom. I. §. X. p. 376, sed mittens hæc ipsa, Sozomenum ex Sozomeno illustrissimè explicabo, nam per omnia nostræ concordat sententiæ, sic siquidem Lib. V. H. E. cap. II. p. 593. memorat: *Εὐλαβῶν δὲ πρὸς τὴν θεοσεβείαν πατέρων γενόμενος, ἐκ νέου ἐμύθη κατὰ τὸν θεσμὸν τῆς ἐκκλησίας, καὶ τὰς ἱεραῖς γραφαῖς ἐπαθροῦσα, καὶ ὑπὸ ἰστοκρότους καὶ ἐκκλησιαστικῶν ἀνδράσιν ἐτρέφθη.* Verto eadem: Ortus enim erat (Julianus) Parentibus circumspēctis, providis scilicet religiosis circa cultū divinum; à juventute sacris initiatus est juxta legem Ecclesiæ & sacris literis institutus, sub Episcopis ac Ecclesiasticis viris etiam nutritus vel educatus fuerat. Quis ex his ipsis conjiceret, quod Sozomenus de his temporibus volue.

voluerit assertum, Julianum tunc etiam simulasse Christianismum.

§. IV. Cum verò citata verba magis ad doctores, quàm ad Juliani informati conditionem ac statum quadrare videantur, hinc de hoc etiam puncto conferatur eadem pagina, quæ circa finem de utroque fratre Gallo & Juliano non tantum perhibet, quod disciplinis & exercitationibus, ipsorum ætati convenientibus sint imbuti, item quod ab humaniorum artium magistris, & à Doctoribus sacrarum literarum ita sint eruditi, uti in Clerum adscriberentur &c. sed & emphaticè addit: *ἔ μὲν ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν ἡθῶν καὶ τῶν ἔργων, τὴν ἀσέβειαν ἐπιδείκνυσι.* Nec tamen (hoc tantum factum est) sed & per mores ac facta pietatem (hypocrysi ac simulatione vacuam) ostenderunt. quippe qui tum Sacerdotes, tum reliquos viros bonos & Christianæ doctrinæ studiosos, plurimi facerent, Ecclesias crebrò adirent & Martyrum sepulchra competenti honore venerarentur. Vid. l. c. Huic adjiciatur linea i4. paginæ cit. ubi Sozomenus referens, quod non mediocrem dolorem ac metum incusserit Christianis studium Principis erga hujusmodi superstitionem, eundem aggravatum exhibet his verbis: *καὶ μάλιστα ὅτι χριστιανὸς ἦν πλεονεκτείνων* & præcipuè, i. maximè, quod Christianus erat (non videbatur s. apparebat) antea. Qvin pag. 594. c. sic habet noster Historicus. *Προῦθ' ὅκε ἦ, ὡς λέγεται, τὴν πατρῴαν θρησκείαν σωσάσας μάντιν ὑπαχθῆς τῶν πρώτων.* Prodidit verò, sicut dicitur, paternam religionem conversatione hariolorum deceptivè primùm pervasus. An hic dici poterit, Sozomenum credidisse, quod à teneris annis simulaverit Christianismum. Quicunq; enim prodidit patriam religionem, ille eandem prius verè habuit & excoluit, quique primùm deceptus

A 3

per

per hariolos eandem prodidit, ille à teneris annis facinus hoc haud perpetravit, aut simulata fallacia impietatem celavit.

§. V. Quod autem Sozomenus statuat, Julianum postea pervates Gentilium seductum ac deceptum, cum præ metu ab Imperatore malitiam hanc palam declarare non posset, Christianismum simulasse, id nunquam diffitebitur, illorum enim post citata Exc. Polyhistoris verba, & collata nostra, quæ paragraphum IV. finiunt, apprimè reducentur sequentia, quando p. 594. B. Sozomenus scribit: *καὶ τοῖς μὲν παλαῖς, τῇ ἀπόβασί ἐνεργῆ. οἱ δ' ἐξ ἐκείνης πωέβαλον, μὴ ὕλως ἔχον τὴν ἀνδρῶ πρὸς τὴν θεογονίαν, ἀλλ' ὁμοίως πλάττειν.* vertit hæc Valesius: Multi verò quid portenderet, ex eventu judicaverunt. Sed nonnulli ex eo conjecturam cœperunt, illum haudquaqvam sincero animo ergo religionem esse, verum pietatem fingere. His ipsis succedaneæ consentiunt paginae, nam statim adhuc p. 594. D. cum narraverat Historicus, quod iussus sit degere Nicomediae adjicit de Maximo Philosopho, quod *μίσος τῆς Χριστιανῶν θεογονίας* implantaverit & pag. 595. A. refert, quod nunciatis Imperatori cupidinibus ad Imperium sc. perveniendi, timore percussus, comam raserit & monasticum vivendi genus simulaverit, ac imprimis inculcat hæc: *λάθρα δ' τῆς ἐπίσεως ἔχον θεογονίας*: Clam verò peregrinam amplexus est religionem. Imò quæ sequuntur verba adeo clarissimè nostram illustrent sententiam, ut nequidem hac ex parte contradictionem metum, ocularis enim inspectio id sufficientissimè evincet, quod ex Sozomeno nunquam probari possit, Julianum ab ipsa Juventute fuisse hypocritam & falsarium Religionis Christianæ membrum.

§. VI.

§. VI. Progreditur autem Polyhistor Halensium
 Exc. ac Sozomeno Socratem adjicit, hac quidem conne-
 xione: *Et Socrates Lib. III. H. E. narrans c. 1. p. 167. Quomo-
 do Legatum Constantii exteperit Sc. subiungit: Eodem tem-
 pore prorsus abiecit ὑπόκριτον & χειριστήν.* Ast quis non
 videt, quod hæc ipsa verba sistant Julianum, postquam
 diu jamdum valedixerat Athenis ac Nicomediæ & certè
 admiratio memet invasit haud vulgaris, quando ex ver-
 bulo quodam, contradicente aliàs totius Historiæ nexu,
 Exc. Autor talia præsumsit, nam Socrates ipse apertissimã
 verborum suorum præmisit explicationem & Nostras
 ex omni momento erit, ut etenim haud attendatur, quan-
 do l. c. p. 165. dicit: *Χειριστὸς γὰρ ἦν ἐξ ἀρχῆς.* Christianus
 enim erat à principio, vel quod Valefius habet: Ab in-
 eunte ætate; Item ut seponatur provida Imperatoris
 Constantii cautela, ex qua Julianum informationi Gentili-
 um noluit expositi, ut tota pagina testatur; hoc ipso tamen
 loco, quando Nicomedienses Juliani memorantur actus,
 tunc indignationem Imperatoris circa hanc malitiam,
 expressissimis hisce significat verbis: *Ἐπὶ τῆς πρώτης τῆς ἀκοῆς
 & κρατέεντ' ἐλαίθασεν, ἐν μέσῳ ἐλπίδ' ἢ φόβῳ ἄν, τὴν ὑπό-
 κριτον ἐκφυγεῖν βεβλόμεν ὃ πρῶτον γήσιον Χειριστὸς, πρὸ
 πλάσθης ἐγένετο.* approbo versionem Valefianam, quæ sic
 transcribitur: Cum hæc ad Imperatoris aures perlata
 essent, Julianus inter spem ac metum constitutus, ut su-
 spicionem effugeret, *qui prius verus erat Christianus,
 tunc repente fallus extitit.* Quid exinde ipse verbo-
 rum derivabit nexus? Ego equidem haud fuero cui-
 quam autor, qui de Socrate crederet, quod ὑπόκριτον &
 χειριστήν adscripserit toti vitæ & primodiispueritiæ vel
 juventutis, cum ad ista demum tempora expressè respi-
 ciat,

❁)❁

ciat, quæ Nicomedienses longè sequebantur ac quoad cur-
sum temporis superabant actus; pro nostra ergò sententia
denuò velitat Socrates.

§. VII. Antiquioribus hifce subdit Exc. Polyhist.
Centuriatores Magdeburgenses, quando sic §. IV. insinu-
atur continuatio: *Centuriatores Magdeburgenses*
Cent. IV. cap. 3. Col. II. 3. ajunt, quod rectè Eutropius
dixerit, Christianum eum antequam ad Imperium
pervenisset, putatum tantum fuisse, cum qualis esset,
dissimulasset primum. Quæ licet in Eutropio sin-
cero, qualem primus fortassis Jo. Baptista Egnatius de-
dit, non deprehendantur, in antiquioribus tamen
editionibus, quæ Winfridi additamentis interpolata
sunt, legantur, & satis probant, non heri aut nudi-
us tertius hanc sententiam esset natam, cum Paulus
Winfridus Caroli M. tempore Diaconus Aquile-
jensis fuerit. Quid verò ad verba Eutropii regeri possit?
quivis videbit, ut namq; de variis ejusdem editioni-
bus nihil dicamus, verba tamen exhibita & ex opinione
Viri Exc. considerata scopum nunquam prenent, cum &
nos credamus, *Christianum eundem antequam ad Imperium*
pervenisset (post memorata sc. Nicomediensia ac Attica facta)
putatum tantum fuisse. Interim exinde fluet ac derivabitur
ægerrimè, quod à teneris ac in primitiis adolescentiæ
haud extiterit verus Christianus. Unde nec Winfridus
vel alii Sec. VIII. aut IX. Autores per hæc eqvidem verba
ad sententiam Excell. Polyh. traducentur, potuerunt,
siquidem & hæc ipsa, & nostram simul assumere senten-
tiam, qui asserimus, quod quamvis abs ipsa Juventute
verus

verus fuerit Christianus, postea nihilominus per gentiliū illecebras accitus, falsarius primum hypocrita, tum verò tandem manifestus ac crudelis evaserit Apostata.

§. IIX. An interim Centuriatores M. hanc habuerint sententiam, quod Julianus ab ipsa pueritia fuerit hypocrita? id ipsum nunc erit ventilandum. Inveni ergo primo statim intuitu, quod B. Viri sint quondam opinati, *Julianum Grammaticorum, Philosophorum & Rhetorum (intelligi Gentiliū) simul etiam fuisse commissum disciplina & magisterio, apud quos plus Impietate, quàm apud Eusebium pietate profecerit. Cum tamen Cent. IV. Cap. VII. col. 510. n. 36. s. recenseant, quod uterq; adolescens (Gallus & Julianus) Scholam Casariensem Cappadocum frequentaverit, cum Gentilibus Praceptoribus certo consilio Constantius Pater erudiendos eos tradere nolisset.* Posthæc autem nihil quod sententiæ nostræ verè obesset, deprehendi, potius contrarium ex Cent. M. evincam. Sic siquidem de prima Julianæ vitæ portione scribunt Cap. III. Col. 113 n. 23, s. *Erat autem Julianus à pueritia ad pietatem institutus. & quidem ita, ut statim postea non tantum institutio ad pietatem memoretur (qua cum hypocrita esse ac manere poterat) sed & ipsa pietas hujus Juliani, quæ pietas n. 34. & 35. expugnata & in ethnicam superstitionem transformata sit. Imò adduntur circumstantiæ, quod hæc contigerint, cum Grammaticorum, Philosophorum ac Rhetorum simul etiam informationi commissus esset, dicerem verius: cum semet ipsum Grammaticis, Philosophis & Rhetoribus frivole commisisset, quando scilicet ex n. 55. s. etiam post*

B

lectionem

10

lectionem sacrorum librorum, nihilominus legit Libros philosophicos & paulo post (non vero ab ipsa prima juventute) Athenas missus Philosophos solos audivit. Ex his ergo iisq; omnibus, quæ adhuc sequuntur, sententiam nostram optimè stabilimus, quare etiam Centuria IV. Cap. XV. p. 1533. n. 33. Beati Viri dicunt: *Julianus non modo ipse ad Gentilium Vanitates à verâ religione deservit, sed etiam subditis suis ut idem facerent, jvasit.*

§. IX. His de Eutropio ac Centuriatoribus M. dilucidè superatis, conspicio Exc. Observ. Autorem porro si arguentem: Nec prætermittenda censeo sequentia Cuspiniani verba: *Julianus palam Christum confitebatur, clam autem superstitionibus vacabat, quæ eum ex Sozomeno mutuatum esse, ipsa p. 595. in spectio ostenderit. Quàm lubentissimè his ipsis fidem concederem meam, sed ipsa veritas Cuspinianum omnimodò nostris vindicat partibus, qui expressè hæc habet verba p. 102. n. 1. Imò cum Christianus ab initio esset, ut omnes post Constantinum Imperatores, cœpit inde fidem esse desertor. Et ob id Apostata à nostris quasi prævaricator dictus.* Chartæ parco, nam omni firmitate constat, quod nulla possit esse Cuspiniani alia sententia, quàm hæc ipsa nostra, cujus hæc tenetur evidentiam, utpote quod à primis in cunabulis verus fuerit Christianus, postea verò per seductionem Gentilium perfidè degeneraverit, ac perniciosissimus sit factus idololatra.

§. X. Postquam hucusque Autorum fuerant conquisita testimonia, nunc tandem ad probabilia delabitur conclusa, Vir Exc. quando ponit: *Meretur*

etiam

etiam considerationem Christianorum responsio ad
 praeceptum Juliani iudicium, quod lectis, quibus doctrina
 Christiana defendebatur, libris, in Inscriptione
 tales erant: ἀνεγνων, ἔγραψα, κατέγραψα, legi, cognovi, condemnavi;
 ita verò ista sonat: Legisti sed non cognovisti, si enim cognovisses,
 non condemnasses. Ecce Christiani fatentur, quod
 Julianus Christianae pietatis dogmata non cognoverit,
 unde colligere par est, eum non statim à primis
 incunabulis Christianae fidei lacte nutritum fuisse.
 Quomodo enim in Imperatorio throno eum, qui per
 tot annos Christiana dogmata sectatus esset, arguere
 potuissent illorum temporum Christiani, quod veritatem
 Christianae religionis non cognovisset?

Habentur haec ipsa apud Sozomenum Lib. V.H.E. cap. XIIII. veruntamen nec inde valebit hypothesis
 Exc. Polyh. nam danda connexio totam illustrabit rem.
 Sozomenus ergo Cap. II. p. 592. B. praemisera haecce:
 Julianus statim ab initio fidem Christi adeo impudenter
 abnegasse fertur, ut sacrificiis quibusdam atque in voca-
 tionibus, quas graeci depulsorias vocant, & victimarum
 sanguine, baptismum Christianorum eluerit, Sacramen-
 tis Ecclesia renuncians. & Cap. III. p. 596. C. scribit: Ubi
 solus Imperio potitus est, in Orientis quoque partibus Gen-
 tium templa aperuit. Et ea quidem quae neglecta fuerant
 sarciri; eversa vero refici & aras extrui iussit. Multaque
 eis vestigia constituit. Priscos etiam ritus & patrias urbi-
 um ceremonias ac sacrificia renovavit. Ipse palam ac pub-
 lica

licè diis immolans; victimas ac libamenta offerens; eos qui istarum rerum studiosi essent, in honore habebat. Sacerorum præterea initiatoribus, Flaminiibus, Hierophantibus & simulacrorum ministris pristinos honores restituit; & que à superioribus imperatoribus in eorum gratiam instituta fuerant confirmavit; immunitatem quoque à functionibus publicis & ab aliis oneribus, sicut antea habuerant, eis decrevit. Ad hæc annonas aditus Templorum ablatas, reddidit. Jussitque ut à cibis abstinerent, & ab aliis omnibus, à quibus temperare convenit eos, qui ut Gentiles loquuntur in castu esse volunt. Precipit etiam ut cubitus Nili & sacra Symbola juxta morem majorum ad templum Serapidis deferrentur. Nam ex præcepto Imperatoris Constantini deportabantur ad Ecclesiam. Scribebat frequenter civibus, eis quidem, quos gentilium superstitioni deditos esse cognoverat, ultero abortans, ut peterent, quicquid donari sibi vellent. Illos verò qui Christianam religionem colerent, palam avertabatur & nec ipsi eos adire sustinens, nec legatos eorum admittens, si quando de incommodis suis conquererentur.

§. XI. In tali nunc statu constituto Apostatæ, quod omnes propè interstantes paginæ ac capita confirmant, ad manus veniunt Libri scriptaque Theologorum; diabolicis ergo induratus terminis ac feductrice vaturn superstitione & Idololatria abreptus, nostra irridens, ad illustrissimos Episcopos congruè rescripsit: Legi: intellexi: damnavi: Paraphrastes talis ero: LEGI tenebris infernalibus percitus, depravata voluntate, obscurato intellectu perditisque cunctis animæ sanioris potentiis, INTELLEXI non solide, fundamentaliter adque ductum boni Spiritus
in

in omnem ducentis veritatem, sed proleteriè, superficiali raptu & Diabolo omnem etiam sanam rationem ligante & obtenebrante. DAMNAVI ergo quod contradicant præsuppositis, resistent infernalibus technis, obicem ponant malitiæ, crudelitati ac flagitiis meis. Hinc ergo Doctores acutissimè & satis sufficientissimè respondent: *Legisti* quidem quoad externam connexionem verborumque seriem, sed *non intellexisti*, per Diaboli namque tenebras adeo obfuscatus es, ut cognitionis ac intellectus solidi actum & exercitium ejuraveris cum vera ista fide, à qua descivisti; *Si enim intellexisses*, quemadmodum olim faciebas, antequam seducereris, & quomodò omnes verè credentes qui ductum Spiritus S. sequuntur & per hunc sapere satagunt, facere consuecunt, *tunc nunquam condemnasses*, perspiceres siquidem, quod divina ac cœlestis veritas effutiis tuis ac inanibus tuis paleis inimmensum esset superior &c. &c. Nondum ergo hoc dicunt illorum temporum Christiani, quod ab ipsa infantia omni dogmatum divinatorum caruerit notitia.

§. XII. Conclusioni hætenus illustratæ Exc. Observator hanc ipsam subnectit: *Accedit præterea etiam hoc, quod objectiones adversus Christianorum scita à Juliano motæ, prout in Cyrillo hodie adhuc leguntur, exactam Christianorum dogmatum cognitionem haud sapiant. Quàm frivola enim sunt, quæ de Zelotypia tanquam DEO indigna, cavillatur! Quàm ineptum, quod ex oraculo Christi, ne quis resistat malo & classico illo; diligite inimicos vestros*

vestros Christianam religionem uti seditiosam & magistratibus iniquam ac pregravem accuset! Quasi verò eadem à sanioribus etiam Philosophis non inculcata, ut legere licet apud Haetium Lib. III. Cap. XIX. De concordia rationis & fidei. Si præcepta Christi rectè intellecta fuissent à Juliano; utiqve nunquam hanc sibi objectionem excidere passus fuisset, quippe qui gentilium illa effata probè cognita habebat. Id verò etiam puerile est, quod de turri Babylonica ad cælum usque pertingente argumentatur. Res itaqve ipsa clarè loquitur, Julianum nunquam cum cura sacrum codicem evoluisse.

Sed si ut per Instantiam quid adjecero, verum Christianum efficit evolutio sacri codicis & quidem cum tali cura, ut nec falsa loci cujusdam expositio remaneat, nec sensus authenticus ullibi ignoretur, tunc certè summi Antiquitatis Patres, quin ad hunc usque diem omnes Theologiæ Doctores omnesque Ecclesiarum Ministri haud forent Christiani, dum in hac imperfectione nullus in tantum perfectionis assurgat gradum, ut ubiqve citra defectus de Textibus sacri Codicis judicet. Speciatim quid de puerulis puellisqve imo ipsis adolescentibus fiet, qui nondum consueverunt sic sacros versari libros, ut istorum explicatio ubiqve quadret. Potuit ergo Julianus, etiam si perfectionem istiusmodi nondum attigerit, nihilominus verus esse Christianus.

§. XIII.

§. XIII. Deinde vero ubiq; constat, quid affectata possit ignorantia? optimè scribit Perkinus Operum Theolog: p. 1290. *Affectata Ignorantia est, cum quisquam ignorantia sua delectatur & data opera ignarus esse vult: non adhibendo, sed contemnendo media, quibus cognitio & intelligentia haberi, augeturque potest: aut saltem negligenter & sine cura ijs utendo, quia nec peccatum, quo oblectatur, relinquere, nec pravum vite cursum, quem amat, deserere cupit.* Et paulo post: *Hæc ignorantia planè Diabolica est & execranda: tantumque abesse, ut hominem excuset, ut potius peccatum aggravet augeatque, imò plurimum, gravissimarumque enormitatum procreatrix sit & mater.* unde nec ipsa blasphemia longius solet abesse abs hac pertinacia, qui etenim eo usq; pervenit, ut quod actu cognovit, scire recuset, is deinde per seductionem & indurationem Sathanæ cito satis huc usque abigetur, ut tandem maledicta ac convitia ipsi Deo sanctoque ejus verbo audeatingere, sive id fiat attribuendo ei falsa, sive negando vera, sive contorquendo probata methodo expectarum, sive cavillando divina aut non intellecta aut nequidem comprehensibilia. Ex quo tamen nemo asseverabit, quod impii homines affectatâ hac ignorantia ad Blasphemiam usque decumbentes omnem rerum credendarum exuerint aut planè non habuerint notitiam. Ut ergo paucis tandem hanc equidem conjecturam, quam ex dubiis Juliani per Cyrillum refutatis, Exc. Polyh. hausit, ab ipso Cyrillo refutatam, significem & probatè destruatam offeram, hinc legantur sequentia B. Patris verba, quæ in Epistola ad Theodosium scripta sic consignantur ac præmittuntur

tur Libris istis X. cōtra Julianum scriptis: Julianus ante quam regnare inciperet, inter fideles recensebatur: affectus autem erat & ipsum sacrosanctum Baptisma, quin & in sacris literis eruditus erat: Ignoro autem, qui factum sit, ut flagitiosi & superstitiosi viri facti sint ei familiares, qui cum sermonibus suis ut deficeret, illicientes, deinde assumpto in hoc commilitione sathana ad Gentilium ritus clam induxerunt & immundorum demoniorum cultorem effecerunt eum, qui in sancta Ecclesia & monasterio fuerat enutritus. Corrumpt enim bonos mores colloquia prava, sicut sapientissimus paulus inquit. Nondum discors est B. Pater à nostra sententia, longè minus adversarii certè inter nostrates erunt ii, qui Julianum pro exemplo peccatoris in Sp. S. habent, & voluntariam ac proæreticam ipsius malitiam carpunt, ut Schertzerus, Alberti aliique.

S. XIV. Eadem dixero ad hæc; quæ Exc. Vir. statim hac ratione subdit: *Et qui poterat ille, qui attonitus gentilium dogmata ita admirabatur, ut parvam Ecebolii epistolam maximis etiam bonis anteponeret, in Op: Jul. p. m. 191. qui profitebatur, se vita frui non posse, nisi eatenus, quoad literas Maximì legeret. p. m. 177. qui si mutari potuisset, non ad Olympum, sed etiam nescio quæ montium cacumina volasset, ut Eugenium philosophum amplecteretur p. 185. qui audebat dicere, se hominem non esse, quam diu à Jamblichō abesset*

abesset p. m. 245. Quo affectu Philosophorum Scripta evolverit, testabuntur literæ ad Libanium data, quæ p. 174. ita sonant: Legi hesternò die Orationem, quam magna ex parte ante prandium, pransus verò sine ulla intermissione reliquum ablovi. Ote felicem, qui ita possis dicere, aut sentire potius. o rationem! o Mentem! o prudentiam! o partitionem! o argumenta! o dispositionem! o aditus! o verba! o numerum! o compositionem! Eum, qui tanto percitus œstro in profanis volutabatur autoribus in religionis rebus valde hospitem esse necesse est. Et hinc Julianus de Christo (non secus ac tacitus) tanquam de ignoto sibi in Misopogone p. 126. loquitur, qui in legendis libris non minus se quam quæquam æqualium suorum versatum non vanè l. c. p. m. 61. gloriatur. Ponderentur demum ad illa ipsa hæc, quæ Nazianzenus Orat. I. in Julianum sic reliquit: Quodnam hoc pertinax mali studium? Qui tantus impietatis amor? Quis tam effusus ad exitium cursus? Unde tam infestus Christi hostis, qui se Christi discipulum professus fuerat, qui tot tantisque veritatis sermonibus & doctrinis assueverat, multiq; ad salutem spectantia, partim dixerat, partim audiverat? Vix enim Imperij hereditatem adire cœperat, cum impietatem palam libereq; profiteretur, perinde atq; hoc quoq; nomine erubescens quod Christianus

C

aliquando fuisse: aut ea de causa Christianis succensens, quibus nominis societate junctus fuerat. Atque, hinc quidem facinora sua auspiciatur, quemadmodum narrant, qui ipsius arcanis gloriantur. (probat Superi in quos sermones incurere cogor:) impuro & nefario sanguine lavacrum extergit, initiationi nostrae execrabilem initiationem opponens, sus videlicet in caeno provoluta, sicut est in proverbio: manusque suas profanat, ut nimirum eas ab incruento illo sacrificio, per quod nos Christo ipsiusque passionibus & divinitati communicamus, elueret ac repurgaret. Quibus & statim casum quendam adjiciens, diabolicam vesaniam Juliani, qua ad res istiusmodi fit ductus, memorat.

§. XV. Testes ac probabilia declarata hactenus vidimus, sed nunc Exc. Polyhistor nostram quoque sententiam infringere allaborat, & primo equidem nostram hypothesein, ubi credimus, quod in juventute sub informationem Episcoporum ac Christianorum datus sit Julianus, aggreditur, eamque labefactare conatur hac equidem ratione, quia Julianus nullam Doctorum suorum fecerit mentionem, verba ipsius §. V. citatae Observationis sic deprehendi: *Et certè non parum suspecta sunt ea, quae de Juliano §. I. ex aliis autoribus recitavimus, nam mihi merito dubitare licet, num Julianus ab Ecclesiasticis viris sub Episcopis educatus fuerit. Nam in Mithropogone p. 82. acquiescit Imperator, quod Athenienses jure accusent tanquam principem vitae suae morumque autorem* *ὡς ἄντι μάδισα ἀπιώκεν*

τὸν ἐπὶ τὴν Ἐπιτομὴν τῶν Ἱερογλυφικῶν
 senem Eunuchum, qui ma-
 tri sua Homerū atque Hesiodi Pœmata exposue-
 rat, cuique post septimum annum traditus fu-
 erat, ut brevi ante dixerat. Neque facile in-
 dici possum, ut credam, Julianum silentio præter-
 missurum fuisse Ecclesiasticos & Episcopos præ-
 ceptores, si quos habuisset, nam tanto magis An-
 tiochenos Christianos, quos ut rigida austeræq;
 vitæ suæ Aristarchos perstringit, confudisset Julia-
 nus, si obijcere potuisset iis Ecclesiasticos illos viros,
 qui tam asperis eum inbuissent moribus. &c. &c.

§. XVI. Sed quis fuit, Mardonius iste Eunu-
 chus, Juliani nostri præceptor? Epitetha quibus per
 Apostatam insignitur, referre videntur gentilismum
 ac ethnicam instructionem, sic *Orat. de Misopogone*
inque operibus Juliani p. m. 351. D. f. monita hujus
 moderatoris contra ludos scenicos sic memorat: *Sæpe*
numero mihi admodum puero (testor Jovem & Musas)
dicebat præceptor ille: Ne sinas te à tuorum æqualium
multitudine in theatra induci, neque ulla ejus Spectaculi
cupiditate tenearis. Circenses desideras? apud Home-
rum eos elegantissimè descriptos reperies; cape librum &
lege. Histriones audis saltatores? sine eos valere; for-
tius saltant juvenes apud Phœacas; habes illic cithara-
dum Phœmium & cantorem Demodocum. Sunt etiam apud
eundem multæ stirpes, quæ majore eum voluptate audi-
untur, quàm nostræ spectantur.

C2

Sic

Sic quondam Deli sacras ad Apollinis aras
 Proceram viridi conspexi in gramine palmam.
 Quid Calypsonis insula opaca arboribus? quid Circes
 anira? quid horius Alcinoi? crede mihi nihil videbis
 jucundius. Sp. 352. B. adjicit, quod matri Homeri atq; Hesto-
 di poemata exposuerit. tandemque p, 353. B. C. sic
 fatur *Ἐγβάνης* ad instantiam Antiochenorum, quod
 senex ipsius præceptor haud cognoverit regnaturum
 eundem, unde nec de commerciis fuerit edoctus
 ab ipso: *Induxit me ille malus senex, quem vos tan-
 quam principem vite mea, morumque auctorem, jure
 mecum accusatis: quanquam & ipse profecto ab aliis in
 eandem fraudem inductus fuerat. Sape, credo, nomi-
 na hæc audita vobis sunt tantopere videlicet exagnata
 & derisa, Plato, Socrates, Aristoteles, Theophrastus. Il-
 lis senex iste, cum nimis stultè ac simpliciter obtemperasset,
 posteaque me puerum & discendi desiderio incensum, nactus
 esset; persuasit, si illorum vestigiis vellem insistere, meliorem
 me non quidem ceteris hominibus fortasse (neq; enim cū illis
 mihi certamen esse) sed me ipso omnino futurum. l.c. consentit
 hinc Exc. Halensiu poly-histor verbis n. postimis præ-
 mittit sequentia: Enim verò senex ille Juliani præcep-
 tor non Christum Servatorem nostrum, non san-
 ctos Apostolos vitæ duces principi ostenderat, sed Pla-
 tonem, Socratem, Aristotelem, Theophrastum. &
 adjicit tandem hæcce: *Æquitas autem requirit,
 ut ipsi Juliano, quorumnam fidei commissus fue-
 rit, narranti, magis credamus, quam aliis. Huic**

Mardo.

*Mardonio si jungas Nicoclem Grammaticum
& Ecebolium Sophistam, ut & Maximum ac
Libanium, facile intelliges, an sub Ecclesiasticis vi-
ris tyrocinium studiorum posuerit Julianus.*

§. XVII. Si ex Patrum scriptis & Historico-
rum Christianorum documentis de Mardonio ac re-
liquis primævæ juventutis doctoribus illorumque
Christianismo esset disquirendum, res nostra pri-
mo equeidem conspectu & facilis cognitu & probatu
pronissima foret; sed decidit Exc. Polyhistor: *Æ-
quitas requirit, ut ipsi Juliano narranti magis credamus.*
Conabar ergo, ut ex Juliano ipso absolverem pen-
sum, cumque diversa meditata circa lectionem Ora-
tionum, Epistolarumque Apostatæ obvenerint, tan-
dem nihilominus evidenter cognovi, quod maximum,
quo probarentur ex Juliano Doctores ac Præceptores
ipsius Christiani, futurum sit argumentum, si Apo-
stata ipse testimonium aliquod Christianismi antea
exculti ac professi subministraret, ex quo patesceret,
quod & in Christianismo & quidem à Doctoribus Chri-
stianis necessariò sic fuerit educatus. Non tuc-
ceat B.L. si in hunc scopum probabile quoddam præ-
misero argumentum, & in antecessum quasi dixe-
ro, quod non spernenda sit ratio hæc, quia in Oratio-
nibus istis, quæ Constantii conjugisque suæ Augu-
stissimorum oculis exhibebantur, nullam Deorum
suorum injecerit mentionem, ut vel diis adscripserit
ac vindicaverit quædam, vel iisdem grates habuerit
aut quovis demum respectu cultum, quo jam de-

tinebatur, expresseit præ metu indignationis Cæsareæ, hinc etenim concludo: Qui in provectiore jamdū ætate constitutus præ metu indignationis Cæsareæ, Christianè loquitur & abstinet à gentilitiis loquelis, is citra dubium hoc ipsum facit, quo audientes ac legentes opinentur, quod adhuc in pristino Christianismi statu deprehendatur. Atqui Julianus Apostata. E.

§. XIIIX. Assumptionem ex Juliano probaturus, Orationem ipsius primam aggredior, quæ in Constantii Imperatoris laudem conscripta ac habitata est, si non isto tempore, quo Julianus jamdum cæsarea pollebat dignitate, isto tamen quam certissimè, quo jamdum Athenis hæretet *vid. doctissimus Ezech: Spanhemius in observationibus ad Orationem 1. num. 3. sqq.* & sic postquam Asiaticis studiis, unde venenatum Ethnicæ superstitionis poculum hausit Libanio primum, deinde Maximo Ephesio Philosopho propinante, quod *elegantè inserit Jacobus Billius in Scholiis ad Orat. II. Nazianzeni in Julianum n. 41.* operam jamdudum navaverat, & Athenis spe etiam Majora ipsi contigerant, quomodo blaterat *Orat. III. ut habetur in Operibus Juliani, quæ cum Cyrilli X. Libris nuper prodierunt Lipsiæ p. 120.* in hoc à nullibi Deorum citato modo eundem meminisse inspectio demonstravit. sic pag. 7. dicit de Avis Constantii, quod *περὶ τῆς νεώτερων Φύσιν* s. vertente Petavio secundum Deū observaverint istos à quo Imperium acceperant, dici equidem posset, quod hæc sit descriptio Idololatrici Numinis, sed contra itidem nemo inficiabitur, quod æqualibus verbis Græci Patres Deum æternum comparative quodammodo descriperint

rint. pag. 10. B. *Deorum* responsa, visiones in somno aliaque quæ de Cyro, Alexandro M. aliisque Gentilibus memorantur consultò præterit circa Constantium, quod videantur Poeticæ esse licentiæ. Solidè satis Spanhemius contrarium ex Menandro docet, quod sc. Rhetor & Orator itidem hæc ipsa tractare debeat *conf. obseru. ad Orat. Jul. l. p. 97. B. lin. i.* & judiciosè ibidem adjicit: *Hic sibi abeundem censuit Julianus, non adeo, ut mox obtendit, quod poeticam eadem magis licentiam, quam Oratoriam facultatem deceret; quam quod revera nihil tale de Constantio, quod de Cyro, Romulo, aut Alexandro dixerint, aut commenti sint, qui eorum res gestas enarrarunt, aut apud Christianum Imperatorem, aut à Christiani adhuc nomen professo Oratore, dici aut fingi commodè nunc posset.*

§. XIX. p. 13. D. scribit ulterius Apostata: Mihi sanè Deus facilis tibi (Constantio) ac benignus videtur. p. 16. C. concedit, quod DEUS fatalem exitum eumque felicem Parenti Constantino præstiterit. p. 33. B. tribuit Constantio victoriam contra Vetricionem castam ac sinceram *ὡς πρὸς ἱερῶς ἐν τοῖς ποιῶντις*, perinde ac si Sacerdotis cujusdam à DEO missi, non ad bellum profecti Principis opus illud fuisset. Haud malè Spanhemius ex his verbis conjecturavit p. 217. B. lin. 2: *Hæc certe ad hæc, è sacrorum librorum, qui eorum anagnostes in Ecclesia fuerat, lectione hausisse videtur, in quibus Dei ductu, vel sacrorum eidem hominum precibus ac virtute, vel Angelorum etiam à Deo immissorum opera, compressas citra sanguinem seditiones, aut debellatos; neque tamen inruentia victoria, Israelitarum hostes legimus, uti de*

de Gedeone, Samsone, Jeptha, Samuele, dicitur
 Hebr. XI. 32. quibus adde H. XLIV. 5. 6. 7. Ec. Ec.
 p. 39 D. in hypothesi planè Ethnica, videatur Spanhe-
 mius, p. 239. posuit nihilominus: *ὁ θεὸς ἐξουσιάζει καὶ
 ἰσχυροὺν ἀγαθὸν ὀνόματι*. p. 59 Orat. II. B. dubitat: utrum
 Magnentius à DEO an Dæmonibus fuerit occultatus?
 p. 68. emphaticum hoc conspicitur morale: Opor-
 tet enim Imperatorem, aut Regem perinde ac Sa-
 cerdotem & prophetam DEUM assidue, ritè atqve
 ordine venerari; neque quicquam per negligentiam
 omittere; aut aliis convenire potius arbitrari, ac dif-
 ferre velle; quasi ab sua dignitate videatur hæc alie-
 na functio, pag. eadem 68. & 69. læpius DEI mentio-
 nem facit & lectu jucundissima horsumque non in-
 congrua habet ex Platone, quæ ibidem omnino con-
 ferantur. Ac tandem p. 70. C. D. continuata serie an-
 teriora ex Platone desumpta firmat, Christianismi cer-
 tum fermè documentum subministrans, sic enim su-
 perior tota finitur connexio: *Etenim stultum est Sim-
 primis contumax, non ita penitus pro viribus obtempera-
 re Deo, ut in studium virtutis incumbamus. Hac enim
 re delectari potissimum DEUM existimare debemus. Sed
 neque ab legitimo eius cultu desistere oportet, neque hic
 DEI contumendus honor; sed cum virtutis studio optimus
 ei pietatis cultus impendendus est. Est enim religio qui-
 dam iustitiæ fructus. Quam quidem ad diviniorum ani-
 mi formam ac speciem pertinere, nemo eorum ignorat,
 qui in eiusmodi rerum tractatione versantur. Quis ex
 his informationem & Exercitium Christianismi non
 præsumeret?*

§. XX. p. 89. A. axioma sequens proposuit:
 Est Lex factus quidam justitiae, SUMMIQUE ILLI
 US DEI sacrum quoddam ac verè divinum donarium.
 p. 90. A. de moderatore ac Rege Deorum perhibet hæc
 ce admodum concinna: *Quaecumque bona sunt, sine
 ulla contraria partis admixtione procreata, & ad commu-
 nem humani generis atque universi totius utilitatem per-
 tinent, horum ille & est & fuit hæctenus conditor; mala
 verò neque produxit ipse, neque ut essent consuevit,
 sed procul coelo fugavit, eaque circa terram oberrantia
 & animorum missam illinc coloniam occupantia, discer-
 nere ac repurgare filiis suis ac posteris iussit &c.* quæ ipsa
 imitanda proponit Principi *Φιλέϊ* p. 118. C. D. Orat.
 III. De laudibus Imperatricis, sistens semet ipsum
 Athenas missum, postquam hæc ipsa de Imperatore
 p. 117. D. & 118. A. splendide, si demum candidè satis præmi-
 serat: *Mibi iam tum ab infantia mea exorsus Imperator
 per humanum se aeq̃ officiosum præbuit, ut omne studium ac
 magnificentiam superaret. Qui quidem primum iis me pe-
 riculis eripuit, quæ ne ab viro quidem ullo devitari possent,
 cui non divina aliqua & incredibilis salutis ratio contigis-
 set. Deinde vero domum nostram ac familiam quasi in soli-
 tudine relictam, è potentium quorundam manibus iure
 liberavit, atque in pristinas opes ac fortunas restituit &c.*
 manifestò rursus confitetur: *Atque ego quidem tunc
 ei, sed imprimis, uti par est, Imperatori plurima sum à
 DEO bona comprecatus.*

§. XXI. Hisce probabilibus præmissis, so-
 lidiùs nunc ex ipso Juliano accedet argumentum,
 erit verò illud ipsum bimembre, ex altera scil. parte
 testis fiet Apostata, quod in pueritia ac juventute pri-

D

ma

ma nondum legerit ac cognoverit scripta Gentili-
um, aut informationi eorundem fuerit subjectus, ut
sic à teneris Ethnicus ac Idololatra evaserit; Ex altera
autem absolvet proprio deciso, quod fuerit in pueritia
primaque juventute Christianæ Religionis socius ac
cultor. Quod primum spectat, Apostatam sc; non
legisse scripta audivisseque doctrinam Gentilium à
teneris, nec Deos ipsos coluisse, tunc audiatur ipse
Oratione IV. in Regem Solem ubi circa Conspectū so-
lis sic delirat p. 130. D. & f. *Quoties in aetherium illum splen-
dorem conjiciebam oculos puer, rapi extra se percussa mens
& attonita solebat; atq; adeo non illum tantum aëfixis in-
tueri oculis optabam, sed etiam noctu, si quando sereno
puroque cælo foras progrederer, cæteris omissis omnibus,
solas in cælestes pulchritudines intentus habebam: Ut
neque, si mihi quippiam ab alio diceretur, animadvert-
rem, neque quid rerum agerem ipsemet attenderem.
Igitur & in illis contemplandis nimium studii,
ponere & curiosus quidam esse videbar: ut me di-
vinandi ex astris peritum, quamvis aabue imberbem,
non nemo suspicaretur. Atque nequi dum liber
ejusmodi meas in manus pervenerat: neque quid
rei istud esset omnino cognoveram. sed quid ista
commemoro, cum afferre majora possim; sed unum re-
censeam, quemadmodum de Diis tunc ego sentirem?
Ac superiores quidem ille tenebræ perpetua
oblivione conterantur. Quod autem lux ipsa cælestis,
undiquaque mihi circumfusa, ad sui me concemplationem
incitavit & erexerit: adeo ut contrarium, ac totius
uni-*

universi, Luna cursum esse per memet observarem, antequam in ullum eorum, qui de talibus Philoſophantur, incidere; ex ijs indiciis, que paulo ante memoravi, perſuaderi poteſt. Nec *Itinerari* hic nec explicationem adjecturus ſum ſed paucis demum exinde ſic argumentabor: Qui in ſuſpicionem divinationis per venit; cui ut pueri nondum liber Ethnicus ac gentilis in manus per venit, qui quæ tandem quid rei iſtud eſſet, (Idololatricus ſc. ſolis conſpectus & cultus, indeque orta impiorum Astrologorum vaticinatio) omnino non cognovit, ac porro: Qui de Diis malè ſenſit, vitamque ante actam tenebris perpetua oblivione conterendis, iſtam verò quam ſub Diis geſſit Luci comparat cœleſti, quæ undiquaque ipſum circum fudit & ad ſui contemplationem excitavit ac erexit, & quidem denuo antequam in ullum eorum, qui de talibus philoſophantur inciderit; Ille ab iſſis tenebris annis nunquam extitit gentilis. Atqui *Julianus*. E. Associetur his iſſis ultima orationis IV. jamdum citatæ clauſula, quæ ſic p. 158. B. C. idololatricè ingemifcit: Quamobrem tertio jam iſtud ab Univerſorum rege Sole poſtulo, ut pro mea erga ſe voluntate benignus ac propitius eſſe velit; tum mihi ut iſſa largiatur: vitam bonam, perfectiorem prudentiam, divinam mentem, fatalem ex hac vita diſceſſum congruo tempore quam miſiſſimum: quò perſunctus ad ipſum evolem, cum eoque perpetuo, ſi fieri poteſt, maneam;

Sin id majus est, quam pro vita antea merito, plures mihi saltem ac longissimi annorum circuitus contingant. quis improbable crederet opinatum, si ex his verbis ad vitam Christianam in juventute & à teneris gestam, respexisse Tyrannum decideremus.

§. XXII. Manum consensumq; affert Oratio Apostatae V. quam de Matre Deorum mente linguaque blasphema publicavit, in hac ipsa p. 174. B. & C. sequentia lego: *Solus nunc ex omnibus maximam dominus Deus videor, cum universis, tum Deorum praecipue Matri, debere gratiam; non solum propter caetera eius in me beneficia, sed etiam ob illud singulare, quod me sic, tanquam in tenebris vagantem minime neglexerit, sed imprimis abscondi iusserit: non corpore quidem ipso; verum inexpertibus rationis anima motibus & incitationibus, quaecumq; intelligibiles animarum nostrarum praesidi cause supervacanea sunt & inutilia, & rursus claufula blasphemias has & idololatricas p. 180. A. & B. reliquit preces: Da (Deorum Mater) felicitatem mortalibus universis, cujus caput est Deorum cognitio; publice praesertim Romano populo concede, ut illam impietatis ac Deorum contemptus maculam abstergat: tum prosperam benevolamque fortunam, quae cum eo multis annorum millibus moderetur imperium. Mihi vero praecipuus hic à te mei in te fructus obsequii contingat; in omnibus de Diis decretis ac dogmatibus veritas &c. His ipsis planè cognata deprehendimus, quin longè apertiora in Epistola ad S. P. Q. Atheniensem, quae collata cum Oratione Apo-*

Apo-

Apostata I.II. & III. exemplar quoddam frivoli calum-
niatoris ubique adumbrabit, quin evincet; sic autem
ibi post multa garrit: p. 271. B. C. *Quid hic dicam de sex
illis annis, quibus in alieno fundo educati sumus; cum perin-
de atque apud Persas Castellis ac custodiis septi inclu-
sique viveremus; neq; quisquam ad nos hospes, aut ve-
teri familiaritate novus introduceretur; tum honestis
artibus ac studiis interclusi, adeoque libero omni con-
gressu prohibiti, inter splendoras familias alebamur, & cum
servis nostris quasi cum sociis exercebamur? Nam
nulli ad nos aequalium nostrorum accedere aut adire
omnino fas erat. Hinc ego tandem Deorum au-
xilium feliciter sumereptus: Frater vero meus, si quis
unquam alius, infeliciter in aulam implicatus est. Ete-
nim siquid in ejus indole ac moribus agreste inerat & aspe-
rum, id ex montana illa educatione ac rustica coaluerat.
Quamobrem ejus immanitatis culpam omnem is mihi
merito sustinere videtur, qui eos educatione per vim
aut tyrannice damnatos esse voluit. A quo me institu-
tionis genere Divi immortales Philosophiae ope vin-
dicarunt, illi vero; ut hoc assequi posset, nemo permisit.
An citata istiusmodi verba omnem Juliani vitam ve-
lint planè & ab ipsis teneris ethnicam B. L. censendum
ac decidendum trado, ego equidem graviter non mi-
nus, quam solidissimè dubito.*

§. XXIII. Subdo adhuc querelas planè inju-
stas Apostatae, quas cum generatim in Epistola ad The-
mistium p. 254. lit. B. formavit blaterans: *Nam nec adu-
lari, vel mentiri, tibi fas esse arbutabar; Neque mihi,
quod ad naturam attinet, excellens quicquam vel*

ab initio insitum, vel modo concessum animadver-
teram; hoc unum sentiebam, Philosophia me
duntaxat amatorem fuisse. Taceo calamitates
eas, quæ mihi interea contigerunt, quæque ut
imperfectus ille amor maneret, hæcenus fecerunt.
Quamobrem quid de istiusmodi sermonibus tuis conji-
cerem nihil habebam, donec illud mihi divinitus est inje-
ctum: cogitandum esse, et quid laudibus istis cohortari me
cuperes, ac certaminum declarare magnitudinem; tum
etiam speciatim p. 259. B. hoc modo inculcat: Et qui
de laboribus illis meos & arumnas tibi per libenter exponerem,
quique mihi quondam ab amicis & cognatis terrores obje-
cti sunt, cum apud vos primum doctrinis instituerer;
nisi penitus tibi essent illa perspecta. Quænam admodum &
in citata Epistola ad S. P. Q. Atheniensem p. 277. B. ita ca-
lumniiatur: Vix ego servulos quatuor, quorum duo erant
parvuli, cæteri grandiores, ad interiora obsequia mecum
in aulam adduxi: quorum unus duntaxat susceptæ
erga Deos à me pietatis conscius, & clam, quo ad-
licebat, adjutor exitit. Quis ex his ipsis con-
vinceretur, quod Apostata abs annis teneris fuerit
gentilis? præsertim dum & Oratio ista quæ in scribi-
tur Misopogon. p. 360. D. satis innuat, quod causa dis-
fidiorum fuerit, quia Apostata bellum indixerit Iu xi
intellige Christo; sicuti etiam Epistola quædam
quæ sub nomine fratris Galli circumfertur, sic p. 454.
lit. C. operum Juliani sonat; Gallus Cesar Juliano
fratri S. D. Jonia provincie vicinitas maximum mihi lu-
crum attulit, quippe quem priore de te fama dolentem
merentemque recreaverit. Quæ verò illa, quam dico sa-

ma sit, audi. Ad aures meas pervenit, te abdicata prima religione, quam à majoribus accepisti, ad inanem superstitionem deflexisse, impetu quodam pravoque consilio abreptum. Quid non mihi accidisse putas, cum tuam vicem dolerem? Nam sicut meum commodum esse reor, cum tua bona predicari audio: ita mala, quae Deus auertat, meum apprimè damnum arbitror. Me igitur in eo mœrore jacentem communis pater Aetius adveniens erexit; qui & planè contraria narravit & mihi optatissima: Te in domibus studiosè versari; a memoriis martyrum nunquam divelli, sed omnino Dei cultui addictum esse affirmavit. Ego tibi Homeri illam vocem ingero: Sic jaculare. Perge, inquam, ut coepisti; atque hanc eis repende voluptatem, qui te omni benevolentia complectuntur; illudque memoria retine, nihil religioni præferendum esse; nam virtus quo est perfectior, monet, ut mendacii detestemur fallacias, veritatem autem consequemur: Quod præcipuè in pietate erga Deum curandum esse apparet. Multitudo dissidii origo, & perpetuitatis est labes: quod vero solum unumque est, atque potentia præditum rerum omnium tenet imperium. Non ut Saturni filii, sorte aut partitione; sed quia suapte natura principum est, & omnia potentia continet, non vi acquisita: nam ipsum ante omnia est. Hic procul dubio est Deus; quem debito cultu venerari oportet. Vale. Qui hæc omnia conjunctim spectaverit, is Censor fiet ex toto, An Julianus Apostata abs uberibus, infantia ac prima adolescentia fuerit Gentilis?

§. XXIV. Alterum nunc tandem sequitur membrum, cujus scopus tendit ad producendam Apostatæ

statae propriam confessionem, quod nempe primos
 vita annos consumserit inter Christianos, illo-
 rumque genuinus fuerit socius. Deprometur eadem
 & Epistola L. quam Alexandrinis scripsit, ut Atha-
 nasio quin Christo Ipsi ac Religioni divinæ fierent
 infesti, ut verò succinctè in clarescant argumenta,
 quibus malitiam hanc satis prolixè intentavit ac per-
 suadere ausus est, tunc hoc ipso nexu explicantur:
 Etiam si Christianus Alexandriam condiderit; non
 tamen desiderandus est Athanasius: longè minus
 cum falsum hocce sit; quia Alexander urbem con-
 diderit ac Dii tutelares sint Sarapis ac Isis p. 432. D.
 unde etiam turpissimum manere ac esse Alexan-
 drinis, quod Christum colant eidemque serviant p.
 433. A. Argumenta nunc adjicit sequentia: (1.) quia
 turpissimum foret Hæbræis, Galilæorum (quo
 modo blasphemè Christianos insignit) parentibus,
 qui Ægyptiis olim serviissent, per religionem Chri-
 stanam subjici p. 433. A. & B. (2.) Quia ex cultu De-
 orum omnis Ægypti felicitas ortum duxerit l. c. B,
 (3.) quia Alexander M. Ptolemæus ac tandem Roma-
 ni citra prædicationem Religionis Christianæ Ale-
 xandriam totamque Ægyptum magnificè auxerint.
 l. c. C. D. & p. 434. A. (4.) quia Solis, Lunæ totiusq;
 cœli præsentissimos effectus ipernere, istaque prin-
 cipia divino privare honore absurdum sit ac pe-
 riculosum l. c. B. C. (5.) quia ex proprio sensu ac ex-
 perientia dehortari possit à Christianismo, unde
 tandem nec Athanasium restituere, nec religionem
 Christi tolerare velit. l. c. D. & p. 435. tota. Quintum
 nunc ac ultimum Argumentum totam rem absolvet,
 exhi-

exhibebo igitur Textum ipsum, qui sic ibidem legitur post reliqua perivatoria: *Οὐκ ἀμαρτήσονται ὡς οἱ ἰουδαῖοι ἐδὲ ἠσώμενοι τὸ ἠσώσθαι τὸν κἀνέκλεω τὸ ὄδον ἀχρεῖς ἐταῦν εἰς ἡσῶν, ἡγὶ τὰύτων ἰδὲ οὐκ ἴσθῆς τὸ ἠσώσθαι δαδὲγαται ἐτ.* Verto eadem: *Non aberrabitis à recta via, persuasi, obtemperantes vel credentes isti, qui ambulavit etiam illam seu eandem vel illam ipsam viam, (intellige Christianam, à qua vos Alexandrinos vult debortari) usq; ad annum vigesimum, & qui hanc ecce cum Dijs ambulat duodecim annis, vel usq; ad duodecimum annum.* Quid ergo, cum rerum testimonia, eaq; adeo expressa adsunt, opus est verbis?

S. XXV. Quando igitur Exc. Polyhistor haud facile induci potuit, ut crederet, Julianum silentio fuisse praetermissurum Ecclesiasticos ac Episcopos Praeceptores, si quos habuisset, cum sic tanto magis Antiochenos Christianos, quos ut rigide austeriq; vita suae Aristarechos perstringebat, confudisset, &c. &c. Tunc ipse Mardonius ex supra deductis Christianus manebit, odium verò, quod contra Christianorum Episcopos fovet Apostata, non tantum hicce locus docebit, sed satis clara instantia erit ex Oratione Ipsius I. quæ scripta fuit in Constantii Imperatoris laudem, ubi p. 10. f. exercitia tam corporis, quam animæ memorans, quibus Imperator imbutus excelluerit, ne ullos tamen Christianorum Doctorum, quorum profecerit cura ac scientiis recenset, ex quo nihilominus præcipiti valeret ratiocinio, quod ipse Imperator planè non habuerit præceptores Christianos. De culpa Antiochenorum interea alibi forsàn agetur. Tandem verò

E Juli-

Julianus sibi ipsi fit Censor quando Orationis suæ
 tertię, quæ dat Encomium Imperatricis Eusebiæ hæc
 ipsa p. 102. reliquit præliminaria: *Ecquid tandem de his
 existimandum est, qui cum magna nomina, magnisque
 de rebus contraxerint: (non jam aurum aut argentum loquor,
 sed de omni omnino re, in qua quispiam ab alio bene-
 ficio sit affectus,) nihilominus gratiam pro his persolvere neque
 conentur, neque possint; sed ad ea, quæ prestare queunt,
 referenda, ac dissolvendum debitum, negligentes se ac re-
 missos prabeant? Nonne illi jure mali atque improbi
 censendi sunt? Neque enim ullum puto crimen esse, quod
 majore apud homines in odio sit, quam ingrati animi vi-
 tium, quodque aliis exprobrent magis, cum accepto bene-
 ficio ingrati erga bene de se meritos videntur. Est aut
 tem is ingratus, non modo, qui beneficio affectus
 mali aliquid facit, aut dicit; sed etiam qui ta-
 cet, ac dissimulat, & alterius in se meritorum ob-
 liviscitur atque eorum memoriam extinguit. Ac
 ferina hujus & in humana pravitate exiguæ admo-
 dum & rara sunt exempla. Plerique verò sunt qui beneficio se
 aliquo affectos esse videri nolint ac dissimulent. In quo quid
 sibi velint, non video. Verum ita dicunt, assentationis & il-
 liberalis adulationis falsam se suspicionem vereri. Ego ve-
 ro tametsi nihil eos sani dicere certissime scio; nihilomi-
 nus prætermitto, atque id illis volo concedere, effugere eos,
 quemadmodum putant, falsam adulationis samam; cum
 interim multis simul animi pravitatibus ac turpissimis &
 illiberalibus morbis irretiti videantur. Nam aut
 beneficia non intelligentes, sensu admodum eorum
 desti-*

destituti sunt, quorum carere nullo modo oporteret:
 Aut si intelligant eorum memoriam omni esse tempore reti-
 nendam: ac si meminerint quidem, sed quibuscumq; tandem
 de causis in agendis gratis negligentes sint, timidi sunt,
 & invidi natura ac totius, ut semel dicam homi-
 num generis inimici: qui ne erga bene meritos quidem
 de se, faciles se ac benignos exhibeant: Idemque, si
 quando conviciari ac mordere necesse sit, iratis &
 acutis ferarum instar oculis aspiciunt &c. &c.
 Sit sapienti satis, applicatis sc. applicandis.

§. XXVI. Secundum jam ordine dato
 & quidem §. VI. Exc. Polyhistor format dubium,
 hoc quidem modo: De Initiatione s. Baptismo
 Juliani res quidem valde dubia est. Is enim tempo-
 ribus quibus Julianus vixit, studio Baptismus
 vel ad senectutem usque differebatur. Ita Con-
 stantinum M. extremo vita tempore baptizatum
 narrant Eusebius, Hieronymus, Socrates, So-
 zomenus, Theodoretus, Nicephorus, Freculphus
 &c. Constantius fide Athanasii de Synod: mori-
 ens voluit baptizari; Idem postea Theodosius M.
 fecit teste Ambrosio de ejus obitu, multis aliis hoc in
 usu fuisse ac verbo Tertulliani per illam Baptismum
 differendi consuetudinem commentum declinandi
 fecisse, ex acri S. Patrum cum primis Gregorij Na-
 zianzenj Orat. XL. in Sacrum Baptisma casti-

zianzeni Orat. XL. in Sacrum Baptisma castigã-
tione liquido apparet. Quomodo ergo tam facile
credemus, Julianum in pueritia baptizatum sub disci-
plina talis Præceptoris, cui Philosophorum Secta ma-
gis cura fuisse videntur, quam Ecclesiæ Sacramenta.

Ordine retrogrado, quò disposita sint regerenda,
processurus, in antecessum confirmo ex superius dedu-
ctis, quod præceptor iste Juliani Mardonius nondum ad
Gentilia raptus sit absurda, cui Philosophorum scita
magis curæ fuerint, quam Ecclesiæ Sacramenta. Deinde,
quod dilatus adque finem vitæ reservatus sit abs aliqui-
bus Baptismus nunquam negaero, quemadmodum
nunc etiam de scopo hujus reservationis disceptare haud
placet, interim credidissem, quod fide historica Baptismus
Juliani ritè ac solidè probetur, si ex illis ipsis Scriptori-
bus, quorum autoritate non tantum olim sed imprimis
nunc pro placitis Exc. Polyhist. comotus fui, ut cre-
dam, quod aliqui & speciatim quod Constantinus circa
vitæ finem demum sint baptizati, de Juliano indubi-
tatò præsumerem, quin probarem, quod iste Baptismus
non distulerit, si quidem hoc quoque exemplum haud
tacuissent scriptores citati, qui vel explicitè Lavacri
hujus mentionem faciunt, vel quoque implicitè per de-
monstratum Christianismũ Apostatæ, Baptismus præ-
supponunt & tunc quidem pro humanitate Excel. Viri
æqualiter consensum obtineã. Eusebii ergo vices, quem
circumstantiæ temporis librorumque suorum scopus
à testimonio eximunt, sustinebit Cyrillus, quemad-
modum is ipse supra §. XIII. circa finem ferme Julia-
ni

ni apostasiam solidè non minus, quàm clarissimè demonstravit. *Hieronymus* autem noster est itidem, sic enim Tom. I. Oper. p. 23. H. dicit: *Julianus proditor animæ suæ, & Christiani jugulator exercitus, Christum sensit in Media, quem primum in Gallia demegarat, dumq; Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos. Socrates & Sozomenus* porro nunquam nobis eripientur vid. §. 1. hujus Dissert: usq; ad VII. *Theodoretus* autem expressè scribit: Hist. E. Lib. III. Cap. II. *Julianus in tenera ætate, adhuc impubes, una cum Gallo fratre lac suscepit pie doctrinæ. Sed & postea cum pubertatis annos attigisset, jamq; inter Ephebos esset, eandem doctrinam retinuit, &c.* Et *Nicephorus* prolixus fit nostræ defensor sententiæ H. E. Tom. XC. Cap. I. p. 551. ubi hæc ex multis habet: *Gallus atq; Julianus pro eo atq; decebat, curati sunt disciplinisque & exercitiis ætati ei convenientibus exculti, sacris quoque literis à Magistris & Præceptoribus edusque docti, ut in album postea Cleri relati sint, & sacros libros populolegerint. Atque illi non verbis modo, sed & factis studium ardoremque in religione suum ostenderunt &c.* Nec tandem *Freculphus* aliud quid credidit de Juliano, hoc enim lego Chron. Tom. II. Lib. IV. Cap. IX. *Hic Julianus, qui dudum fuerat Christianus, & postea proditor est effectus, dum esset juvenculus, tonsus monasticam simulabat vitam &c.* Cur nunc tacerent, qui aliàs accurati sunt in circumstantiis notandis Historici.

§. XXVII. Ad tertium demum paragrapho citata transit, sic namq; progreditur: *Majori adhuc difficultate laborat, quod de officio lectoris anno ætatis*

E 3

de

decimo sexto à principe in Ecclesia Nicomedienſi ſuſcepto
 proditur. Nam etiam poſterioribꝫ temporibus non niſi
 vigeſimo anno ad lectoris munus aſpirare fas erat,
 teſte Photio in Nomo. canone tit. l. cap. xxix. quod ſine
 controverſia ſtrictius Sec. IV. obſervatum, præprimis
 cum illis temporibus non tantum divina ſcriptura
 caput coram Eccleſia prælegeret Lector, ſed & expli-
 cationem aliquam adderet. Diſertè S. Chryſoſto-
 mus Hom. VIII. in Ep. ad Hebræos p. 479. de Lector-
 re ita loquitur: Et tunc dicit, ut ea vobis clariora ſiant &
 non ſolum, ſciatis, quæ illic habentur, ſed cauſam eorum, quæ
 ſcripta & quis ea dixerit. At verò hæc expectare ab ado-
 leſcente ſedecim annorum abſonum eſſet. Et qui
 permiſſent Chriſtiani, ut iſ divina Oracula publicè
 in Eccleſia legeret ac interpretaretur, qui prophano
 ore, duce ac impietatis Magiſtro Libanio in huius
 ſcholis in circulo Gentilium ea arrodebat & ſubſan-
 nabat, quod eum feciſſe ipſi Chriſtiani Scriptores fatentur?
 Eſi vel maxime Julianus qui ſe τῶν πατέρων
 καὶ ἀειπιδες ζηλότων δογμάτων p. 182. appellat, ſe excu-
 ſaſſet, quod Ingenij exercendi gratia Chriſtiano-
 rum dogmata armis Libanij impugnaret more pe-
 ripatetico, fucum hunc facile Eusebius Vir doctiſſi-
 mus detexiſſet & vel ex I. Top. Ariſt. oſtendiſſet,
 hoc nequidem juxta leges Ariſtotelicas fieri debere, iſ
 enim

*enim cautum esse, ne in disputationis argumentum
trahantur, quibus pietas & boni mores labefactantur.*

§. XXIIIX. Pace Ex: Viri haud equidē vidi, quod hac
universa majori adhuc difficultate laborent; nam quod
de ætate Lectoris per Photium constat, istud anterioribus
temporibus & seculo IV. nihil præscribet, quid enim re-
geretur ad ætatem Episcopis, Presbyteris & Diaconis de-
stinatam, ut instantiam quandam exhibuero? Concili-
um Neocæsariense, quod IV. est seculi canonem hunc
reliquit, *Quod Presbyter ante trigesimū annum non
sit ordinandus, etiamsi dignus sit*, addita hac levi-
densi ratione: *quia Christus trigesimo demum anno
sit baptizatus incepitq; docere*. Is ipse ab Aga-
thenfi Conventu seculo V. confirmatus, addita nova ra-
tione, *quia nemo ante trigesimum annum ætatem
Viri perfecti obtineret*. Concilium item Cartagi-
nense III. Diaconis annum XXV. designat & Justinia-
nus tandem Ordinandis prius annum trigesimum quin-
tum, Nov. 73. c. 1. postea verò tantum trigesimum
adscripsit Nov. 137. c. 2. an ergo nulla planè exceptio
unquam observata? Quid dicet Exc: Autor de Eleu-
terio, qui quintodecimo anno Diaconi gradum conse-
quitur, mox triennio post Presbyter creatur, & deinde
viginti natus annos Illyrici episcopus deligitur memo-
rante Nicephoro H. E. Lib III. Cap. XXIX? quid de Re-
migio qui anno ætatis vigesimo secundo Archiepiscopus
creabatur vid. Hieronymus in vita hujus Episcopi &
quid de tot biblicis Exemplis, quæ congeffit speciali dis-
sertatione ad dictum 1. Tim. IV. 12. B. D. Jo. Tarnovius?
Cer-

facient, pro qua Julianus congruo respectu Lector erit etiam si demum sedecim annos tetigisset.

§. XXIX. Sic item, quæ de officio Lectorum ex Chrysofomo habet citra difficultatem diluentur; poterint enim conferri de officiis Lectorum. *Gabr. Albaspinus Observ. p. 409. & 410. B. Quenstedius Antiq. Bibl. & Eccl. p. 122. f. & S. R. ac Exc. Dn. D. J. A. Schmidius in Programme de Primitiva Ecclesia lectionibus & præcipuis circa easdem ritibus.* Ex quo ultimo ad locum Chrylostomi hæc commentata leges: *His verbis laudatus Pater forte illum respexit morem, quo idem quis interdum fuit & Lector & Tractator sive Explicator &c.* de quo more ibidem plurima habebis, quæ forsitan illustrabunt, quare ex Photio istiusmodi Lectori, qui simul Tractator esset, annus vigesimus sit definitus? quare quid antiquitas de Juliano haud requisivit, unde iste quidem decimo sexto anno satis capax esse potuit ad simplicem prælectionem. Nec tandem quæ de Gentilismi æstimo & sublatione aut illusione Christianismi adiecit paragraphum claudens Exc. Observator, dubium nobis motum confirmabunt, partim siquidem probari deberet, quod citata epitheta denominationes & facta quadraverint ad Julianum juvenem, partim etiam Episcoporum defensio jamdum a nobis suscepta est Disputatione nuperius publicata, quæ inscribitur: JULIANUS PER NULLAM ORTHODOXORUM CULPAM APOSTATA §. X. & seq. ex quibus de modo Patrum Apostatam corrigendi quædam profuturæ.

§. XXX. Super est nunc tandem §. VII. ac ultima, cujus initium quarta eadem vice Historicos ita tangit:

*Narratio de Basilica structura, præterquam quod
in circumstantiis Theodoretō non adeo exacte con-
ueniat cum Sozomeno, itidem ita comparata est,
ut de eius veritate non adeo imprudenter ambiga-
tur. Nam unde sumptus ad perficiendam eadem sa-
crām suppetebant Juliano, qui teste Socrate l. c. p. 168.
ἐν λίτῳ χήματι simplici habitu in Basilicam, ubi Scho-
læ erant, procedebat? ut vel hinc videas, quam
parum fidei mereatur Sozomenus hoc in passu,
qui nescio quam ἀπολύτῳ βασιλικῷ Juliani memorat.
Ut ergo hic itidem mentis explicem sensa, tunc ge-
neratim crediderim præsuppositum quoddam histori-
cum, quod Autores in levibus circumstantiis diffiden-
tes, hoc ipso rei veritatem factorumq; essentiam haud
evertant; Postea verò quantum vidi, Sozomenus ex So-
crate haud confundetur, nam & Nazianzenus aliique
Patres structuram hanc memorant, & ipse Julianus tot
sumptus docebit ac monstrabit, unde templum extrui
& perfici potuerit? Cum ergo Oratione III. de laudibus
Constantii innumera fuit complexus beneficiorum ge-
nera, hic ego demum ad p. 116. & sqq. reflecto, præ igitur
116. D. præmittit succedaneis laudibus hæc: Sed illud
interim peto, ne vobis testimonium illud meum sit suspectum,
ac ne priusquam omnia didiceris, mihi obstrepere velitis.
Hoc ego juratus confirmo, nihil me falsum aut confictum al-
laturum; Vos autem etiam injurato mihi fidem habebitis, cum
contra adulationem omnia prædicem. Sc. postea p. 117. præ-
viis*

viis jamdum pluribus C. D. ut & p. iis. A. hæc conspiciuntur: *Quod nam igitur illud est tantum ac tam singulare à me acceptum beneficium, cuius causa debitorem me perpetuo ejus agnoscam, scire vos vehementer velle video. Ego verò nequaquam illud dissimulabo. Mihi itaq; iam tum ab insania mea exorsus Imperator perhumanum se atque officiosum præbuit, ut omne studium ac Magnificentiam superaret. Qui quidem primum ijs me periculis eripuit, quæ ne ab viro quidem ullo devitari possent, cui non divina aliqua & incredibilis salutis ratio contigisset. Deinde verò domum nostram ac familiam quasi in solitudine relictam, è potentium quorundam manibus jure liberavit, atq; in pristinas opes ac fortunas restituit. Judicabit de genio hujus Apostatæ B. L. quando in Ep. ad S. P. Q. Atheniensem his ipsis frivole sic contradicit p. 273. B. Paternorum bonorum nihil mihi admodum suppetebat; neque quicquam ex tantis opibus, quantas Patrem meum habuisse par est, possidebam; non glebam ullam, non mancipium, non domum. Quippe egregius ille Constantius paternam omnem meam hereditatem me excluso ad se transtulit, ex eaque mihi nihil concessit. Verum jurato testi majorem nunc habebimus fidem & facile sic persvadebimur, quod princeps magnifica Imperatoris adjunctus gratia inque pristinas restitutus opes fortunamque tantos habuerit sumptus, qui sufficerent extruendo facello.*

§. XXXI. *Quæ jam tandem supersunt dubia, paucissimis conficiuntur, sic quando pergunt Exc. Autor; isti qui accensum Imperij cupiditate, faces*
sub

*subministrante Maximo, in devia abreptam cum
 Theodoro l. c. ajunt, ipsi Juliano contrariantur.
 Is in epistolis non semel testatur, sed & Misopo-
 gone p. 81. Deos suos Gentiles Testes invocat verè
 & ex animo regnum se recusasse, quæ in re consen-
 tientes habet Entropium & Marcellinum; tunc Ju-
 lianum sibi ipsi ex paragraphis superioribus contrarian-
 tem ad conciliationem transmisero & paucis ad ea rege-
 ram: distingue tempora & concordabit Historia. De cœ-
 tero confidimus quod pensitatis iisdem, quæ modestè
 conquisita hæctenus exhibuimus, Exc. Vir. difficulter fir-
 maturus sit hæc: *His aliisq; pluribus inductus in eam pro-
 pendeo sententiam, Julianum nunquam ex animo Christiane
 fidei fuisse alumnum, sed vel ex Gentilium Philosophorum per-
 svasione in tenera ætate, aut in adulta ex proprio consilio in ser-
 vuisse scien- & tempori ac Christianum interdum se finxisse,*
*cujus rei illustre documentum præbuit; cum Augustus à milite
 salutatus fingeret, se Christiano cultui adherere & in Christiana
 norum Ecclesiam progredere, ut omnes nullo impediente ad
 sui favorem illiceret, apud Ammianum Marcellinum Lib. 21. p.
 327. Interpolator Entropij, cum videret testimonia antiquorum
 de munere legendi in Ecclesia Nicomediensi expleto & aliunde
 tamen convictus esset, Julianum nunquam fuisse Christianum,
 eo prolabitur; ut dicat, eum istud gessisse simulatione.
 Ista verò verspellis hominis hypocrisis sine dubio inducti fue-
 re Christiani, qui subdolum hominis ingenium perspectum
 non habent, ut cum Christianum esse firmiter crederent, &
 cum larvam hanc deposuisset à verorum Therapeutarum re-
 ligione**

ligione divorcium fecisse opinaretur ac propterea *Syba-*
stis appellarent. Neque tandem semet tutum præstabit
 Exc. Polyh. ex hoc quod Scriptores ad relationes alie
 orum provocent, item quod relatoria formula alie
 cubi proferent, statim enim inquisitio erit, an tale quid
 contingat circa probatum Christianismum Apostata.
 An verò circa gestorum Imperialium mortiq; demum
 tragediam? cum autem prius durissimo forsàn dabitur
 eventu, hinc & possessionem nostram præcipiti defere-
 remus consilio, in qua ex probatione Antiquitatis
 & illustratione contrariorum adhuc
 conspicitur:

JULIANUS ex genuinis Historicis
 verè Apostata.

S. D. G.



43
subministrante Maximo, in devia abrepta
Theodoreto l. c. ajunt, ipsi Juliano contrari
Is in epistolis non semel testatur, sed & A
gone p. 81. Deos suos Gentiles Testes invoc
& ex animo regnum se recusasse, quæ in re o
tientes habet Eutropium & Marcellinum; tu
lianum sibi ipsi ex paragraphis superioribus cont
tem ad conciliationem transmifero & paucis ad e
ram: distingue tempora & concordabit Historia.
tero confidimus quod penfitatis iisdem, quæ m
conquisita hætenus exhibuimus, Exc. Vir. difficul
maturus sit hæc: His aliisq; pluribus inductus in ea
pendeo sententiam, Julianum nunquam ex animo Chri
fidei fuisse alumnum, sed vel ex Gentilium Pilosophor
suasione in tenera etate, aut in adultæ ex proprio consili
viisse scire & tempore ac Christianum interdum se fa
cujus rei illustre documentum præbuit; cum Augustus
salutatus fingeret, se Christiano cultui adberere & in C
norum Ecclesiam progredere, ut omnes nullo impedi
sui favorem illiceret, apud Ammianum Marcellinum L.
327. Interpolator Eutropij, cum videret testimonia antiq
de munere legendi in Ecclesia Nicomediensi expleto &
tamen convictus esset, Julianum nunquam fuisse Chri
num, eo prolabitur; ut dicat, eum istud gessisse simul
Ista verò verspellis hominis hypocrisis sine dubio indu
re Christiani, qui subdolum hominis ingenium per
non habent, ut cum Christianum esse firmiter creder
cum larvam hanc deposuisset à verorum Therapeutar

